



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XXI. Humilitate superat omnes. Profundissimam virginis Mariæ
humilitatem hîc, ad imitationis exemplum, intueri licet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS XXI.

Maria Virgo humillima, sedes est sapientia.

A Deo gratiam Deo in homine esse humilitatem, ut cor ^{Exordium.} humile inhabitare increata patris sapientia non dedignetur, in suis Proverbiis affirmat Sapiens. *Ubi humilitas, ibi & sapientia.* Prov. 11. cap. hæc autem inhabitatio vel maximè per gratiam debet intelligi, dicente Apostolo: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Felicissima præ omnibus hominibus, & super omnes generationes beata est Virgo Maria, in cujus virginali utero, non tantum per gratiam, sed per continuatam præsentiam, increata Patris sapientia incarnata, ac novem mensibus continuis morata est, Virgo super omnes benedicta, domus illa est, quam sibi sapientia ædificavit, sedes est sapientiæ, cum ergo ibi solum sit sapientia, ubi est humilitas. Mariam Virginem, humillimam semper fuisse comprobabimus, ut exinde dignam sedem sapientiæ tantò facilius esse agnoscamus. Humilitate suâ se ad tantam pervenisse dignitatem, atque ideo ab omni creatura benedicendam esse, Virgo ipsa testatur in suo Canticò Magnificat. *Quia respexit humilitatem ancilla sua, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quanta hæc Virginis fuerit humilitas, autoritate SS. Patrum. humiliter ^{SS. Patres.} declarabimus. *Eva propter superbiam, creaturam Dei se esse, & opus Dei non considerans, Deo parificari voluit: Maria autem suo factori humiliter se subdens, ancillam se nominavit: & idcirco illa abjecta, hæc electa est; superbam despexit, & humilem respexit: id, quod superba perdidit, humilis recepit.* subtilissime exponit magnum Ecclesiæ lumen S. Augustinus. Exposit. S. Augusti. ^{nus.} super Magnif. *Vide humilitatem, vide devotionem; ancillam se dicit Domini, qua mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est; mit enim, humilemque paritura, humilitatem debuit etiam*

- S. Ambro-
sius. *etiam ipsa praeferre. profundè ponderat S. Ambrosius, in cap. 1. Lucæ. lib. 2. Quid nobilius Matre Domini? quid splendidius eâ, quam splendore elegit paterna gloria? quid castius eâ, qua corpus Christi, sine contagione corporis generavit? & tamen in eâ solum humilitatem respexisse Dominum, profitetur, quæ cunctas ceterarum virtutum, marianè scribit S. Hieronymus. Epist. 10. de Assumpt. B. V. Semper solet esse gratia divina familiaris virtus humilitatis, Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, humiliter ergo respondet, ut sedes gratia reparatur. disertè loquitur S. Bernardus. ferm. 4. super Missus eû. Maria humilitas, non solum in verbo, sed etiam in factò declaratur, non solum in verbo regalis responsionis, sed in factò legalis purgationis, non solum in verbo, quo se humiliavit, tanquam ancillam servitricem, sed etiam in factò, quo se humiliavit tanquam reum, & peccatricem: ò dura & infelix superbia! ò superba & infelix duritia peccatoris! ecce Maria absq. omni peccato regem subiit purgationis, & tu miser plenus peccatis, non vis regem subire satisfactionis. nervosè meditatur S. Bonaventura. in spec. B. V. lect. 4. concludit S. Ildephonsus. ferm. 3. de Assumpt. B. V. Noverat enim beata Virgo, quia humilitas Deo semper placet, & ideo ex nuntio, cum salutatur, nihil altum de se spernit, nihil præsumat, sed tota humilis, ad Deum intendit, cui totum deputat, quod est, & quod audit: quapropter & nos, discimus Deo deferre, discamus de nobis humilia sentire semper in omnibus, discamus humiliari. In humilitate gratiam Spiritus S. expectantes, humillimam ejus sponsam, profundissimas Conceptibus devotè meditemur.*

CONCEPTUS I.

- Confirma-
tio, seu De-
ductio. Non errat profectò, qui sole clariùs lucentem virtutibus Virginem benedictam, mari profundissimo, cum SS. Patribus comparat, etenim sicut, omnia flumina intrans in mare, tamen mare non redundat. ita omnia gratiarum flumina confluxerunt in Mariam, neque tamen profundissimæ humilitatis

tis Virgo Maria elata est. Quàm non se jactant homines, dum ad minimum dignitatis gradum, etiam citra meritum, cæcâ fortunâ favente evehuntur? quàm subito obliti, se ipsos non noscunt? quàm non proximum contemnunt? quos non effingunt honorum titulos, quibus sese extollunt, atque à mundo, quasi adorari concupiscunt? ut proinde commune adagium ortum sit: *Honores mutant mores, sed raro in meliores.* Non sic humillima Virgo, cujus humilitatem tota respexit SS. Trinitas, quam Pater æternus in Filiam, quam Unigenitus Dei Filius in Matrem dignissimam, quam in sponsam dilectissimam, sibi Spiritus S. elegit, quæ angelis in Reginam, cælo ac terræ, in Imperatricem, ac Dominam data, ac in super de cœlesti curiâ, angelico nuntio est honorata; ô quanta gratiarum flumina, in hoc mare profundissimum intravere! an non redundabit? an elatione non jactabitur? quid hic agit Virgo supra omnes creaturas exaltata? *Ecce ancilla Domini.* Lucæ 1. cap. Ancillam se nominat: tanta Domina, nonne obsequiosam, nonne fideliter amantem, nonne obedire paratam dixisse suffecisset? non, inquit, Dei Mater electa, sed *ancilla*: ô humilitas inaudita! ad propositum S. Antoninus. part. 4. tit. 15. cap. 14. §. 2. *Sicut omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ita in Mariâ omnes aque gratiarum, quæ fuerunt in aliis sanctis, ut fluvii, intraverunt in Mariam Virginem: & tamen istud mare plenum omni gratiâ, non redundavit, excedens limites in aliquam elationem, vel jactantiam.* Emphaticè S. Petrus Chryfologus. serm. 142. *Ecce, quam vocavit angelus Dominam, ipsa se recognoscit, & confitetur ancillam, quia devotus animus, infusus beneficiis, ad obsequium crescit, & augetur ad gratiam, non ad superbiam intumescit, nec ad arrogantiam profilit.* O quàm dignam, Virgo humillima! Patris sapientiæ sedem præparâsti!

CONCEPTUS II.

De adamante scribunt Naturalistæ, quod ferrum ad se trahat; adamanti Virginem beatissimam comparat, quæ humilitate suâ Dei Filium ad se traxit de coelo, S. Bonaventura. serm. 2. de B. V. *Ex multâ pulchritudine vite, beata Virgo virtutem habuit adamantis, quia sicut adamas ad se ferrum irahit, sic Virgo sancta ad se deduxit verbum Dei.* Adamas in terris magnæ æstimatur, & pro quantitate ponderis crescit pretium adamantis: humilitas Virginem Mariam à Deo adamantam fecit, quanti ergo ponderis hunc mysticum Dei adamantem fuisse creditis? quantum erat venerandum corpus & anima Virginis, tanti ponderis & magnitudinis. Mysticus Dei adamas Virgo Maria erat, tota, quanta humilitas fuit; dignum stellis coronari caput humillimè semper inclinavit, oculorum suorum stellulas in terram maximè defixit, humilis in verbo, humilis in societate, humilis semper obsequio fuit Virgo Dei Genitrix. Humilitatem in verbo excuit, quando duodennem Jesulum in templo inventum, verbis sequentibus est allocuta. *Fili! quid fecisti nobis sic? Pater tuus & ego dolentes quarebamus te.* Lucæ 2. cap. ubi dignissima Dei Mater, cui præ omnibus creaturis præcedentia competeret, sponsum suum Josephum sibi ipsi anteposuit. *Pater & ego.* ut nimirum latentem in corde humilitatem, verbis declararet, & exemplo, ut propterea S. Augustinus. Sermon. 65. de Div. cap. 11. in hæc proruperit verba: *Non est præcedenda tam sancta modestia Virginis Maria, meruerat parere Filium Altissimi, & erat humillima, nec se marito vel in ordine nominis præferbat, ut diceret: Ego & Pater tuus: sed Pater tuus, inquit, & ego: non attendit sui uteri dignitatem, sed ordinem conjugalem, & quamvis ut Dei Mater, mille dignior, & major Joseph esset, tamen Joseph conjugalem suum sponsum sibi prætulit, honorem ac præcedentiam humillima concepit, dicens: Pater tuus, & ego dolentes, quarebamus te.* Humillima

mam in conversatione Virginem Deiparam invenimus apud eundem S. Evangelistam Lucam cap. 8. Concionatur JESUS populo, Maria ibidem concioni attentissima interest: nonne primum præ cunctis Auditoribus locum Matri dedere? O rara humilitas? cum magnâ submissione post omnes Auditores ultimum prorsus locum capiens, foris stabat ad portam templi, expectans, quousque motus compassione quispiam, nuntiaret Christo Domino dicens: *Mater tua, & fratres tui, stant foris, volentes te videre.* Ecce humillimam in conversatione Virginem, quæ in omnibus ultimum elegit locum; unde appositè in hanc rem loquitur S. Bernardus. *ferm. in Sign. Magn. Pudibunda fuit Maria, & foris stabat, quærens loqui filio, nec maternâ auctoritate, & sermone interrumpit, aut inhabitationem irruit, in quâ Filius loquebatur.* Aliud Marianæ humilitatis in conversatione exemplum referent Acta Apostolorum cap. 1. ibi enumerat sacer textus, omnes illas personas, quæ unanimiter post ascensionem Domini, orationi vacabant in monte Oliveti, inter quas etiam Virgo Maria erat; postquam ergo omnes recensuisset Apostolos, aliasque pias, sanctasque mulieres, ultimo tandem loco, Mariam posuit Christi Matrem. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre JESU.* Omnium postrema fuit sanctissima Virgo: horum verborum examini & observationi, non immeritò inhæret S. Bernardus, & quærit: Quinam sunt illi, qui in oratione perseverabant? si fortassis ibidem Maria Virgo fuit, nonne cæteris omnibus superior, quia Mater Dei est? nonne dignior privilegio propriæ sanctitatis? nonne in Christianâ societate prima est, & novissima? cur non igitur primo loco, sed ultimo nominatur? Non patiebatur id Virginis benedictæ humilitas, quæ dignitate quidem & sanctitate prima est, ultimam tamen voluntariâ demissione se reputabat. Ita præfatus Sanctus. *Legistis in Actis Apostolorum, quod redeuntes Apostoli à monte Oliveti, unanimiter perseverabant in oratione; ibi si fortè Maria adsuit, nominetur & prima, qua*

super omnes est, tam Filii prerogativâ, quam sua proleptica sanctitatis: at Maria, quando major erat, humiliavit se, non modo in omnibus, sed & pra omnibus, & merito facta est novissima prima, qua cum prima esset omnium, se novissimam se crebat. Humilitatis in obsequio profundissimæ Mariæ Virginis stupendi fuere effectus, quando ad altissimam Matris Dei dignitatem evecta, cognatam suam Elisabeth visitavit, ei que gravidæ, ac partui vicinæ, humillimæ ancillæ obsequium exhibuit. *Exurgens autem Maria, abiit in montana cum festinatione, & visitavit Elisabeth.* Lucæ 1. cap. O verè admiranda humilitas! (exclamat S. Bonaventura Lib. de Inst. Monach. cap. 32.) *Ecce non solum Domini ancilla, sed etiam servorum Domini ancilla, quodammodo dignatur esse Maria!* Magna cœli, terræque Domina, humilem homini ancillam egit. Quis jam pretium hujus adamantis mystici, Mariæ Virginem pro condigno æstimet! quæ tota quanta, verò conversatione, & obsequio humilitas fuit, quam Pater celestis, Filio suo Unigenito comparare dignatus est. Quis nunc Domino placere cupis, hanc triplicem in vita tua humilitatem sedulus imitare, quàm te magistraliter docuit, dignissima sapientiæ sedes, Maria Dei Mater, Virgo humillima.

CONCEPTUS III.

Archangelum Gabrielem fuisse eum, qui Verbi divini incarnationem annuntiavit Mariæ Virgini, ipsiusque in Matrem Dei electionem significavit, ac turbatam in temeritate eius Virginem confortare debuit, sacrum Evangelium testatur. *Missus est Gabriel Angelus à Deo in civitatem Galilee cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Sed & eundem fuisse angelum, Gabrielem scilicet, qui Redemptorem nostrum Christum Dominum, in agoniam, ac sanguine sudore constitutum confortavit in horto, acutissime*

rat S. Petrus Chrysológus serm. 142. *Sicut enim (inquit) Christus per Angelum confortari voluit, ita decuit Virginem, per Angelum animari.* Cur Angelus ille, qui agonizantem confortavit Christum, etiam Matrem ejus Virginem confortare missus est? quòd Salvatorem in agone positum, Angelus confortaverit, non miror, quia tametsi fuerit Deus, erat tamen simul homo, & consequenter præ tristitiâ sudabat sanguinem, præ angustia agonizabat, ob vehementem tot tormentorum apprehensionem, quæ paulò post suffe-
 renda, ad vivum ipsi repræsentabatur, undique eum tristitia circumdabant; confortatione hîc vel maximè opus fuit. In annuntiatione autem incarnationis triste nihil apparet, læta sunt, nova enim percipit Virgo, quibus feliciora sibi imaginari nemo queat, confortatione utique non eget, cur Angelus ergo mittitur, qui confortavit agonizantem Christum? An ut gaudiis Virginis gaudia superaddat præsentia suâ? mirari desine, ait Chrysológus, & cum eo S. Gregorius Lib. 2 1. *Moralium cap. 33.* quia verus humilis majorem non potest sentire cruciatum, quàm cum præsens ab alio laudatur. *Justus, cum laudatur in facie, flagellatur in mente.* Justitiæ speculum Mariam Virginem, in facie laudavit Angelus, quando ingressus ad eam dixit: *Gratiâ plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus.* Verba hæc laudis angelicæ in facie Virginis, flagella erant mentis, hinc Virgo turbata est in sermone ejus, & nesciebat, qualis esset ista salutatio. Ad hanc turbationem missus est Angelus ille, qui agonizantem confortabat Christum, ut Virginem de laude publicâ agonizantem confortaret, nam sicut pavit Christus in horto, & mœstus fuit, sic de laude pavit Virgo; quare, ut verbis loquar S. Bernardi. *Homil. super Missus est. venit Angelus, ut Virginem de suis laudibus parvulam confortaret?* O verè beata humilitas (exclamat cum totâ Ecclesiâ S. Augustinus. Tom. 10. in Append. serm. 83. de divers.) *qua Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innovavit, mundum purificavit, Paradisum aperuit, & hominum animas, ab inferis liberavit.*

Pro

Epilogus.

Pro tam nobili virtutum omnium custode humilitate, quâ etiam corda nostra sapientiæ divinæ dignam sedem videremus præparare, Virginem humillimam, ejusque Filium Jesum Christum, humilitatis magistrum, devotissimè imploremus, cum Joanne Landspergio. Theoriâ. 18. O Mater piissima! impetra nobis profundissimam humilitatem, obsecramus te, per omnem cordis tui pietatem, impetra nobis perfectam paupertatem Spiritûs, quâ nos ipsos, & omnia contra Deum contemnamus, illi soli placere cupiamus, illi soli placere gestiamus; ah misericordissime Jesu! audi quæso, & exaudi nos per humilitatem Matris tuæ, in cujus utero Virginis reclusus, novem mensibus permansisti. Amen.

*Almam respexit Dominus, super omnia
evexit,*

Ancilla nomen, fit Genitricis omen.

*Tu Verbi sedes, Virgo! Salomonis es Aedes,
Fac humiles, mites, quæ super astrantes*

